



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 35. Quid sit Præstimonium; Beneficium titulare, manuale, monoculare;
Commenda spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

120 quia de jure naturæ debetur operario sua merces; secundum alios cum Lott. est juris Divini, quia Deus Num. 18. v. 8., Christus Luc. 10. v. 7. Apostolus 1. ad Corinth. 9. v. 13. præcipiunt Ministris Ecclesiæ dari suas mercedes & stipendia; constitutio tamen tantum vel tanti stipendi ex hoc vel illo fundo est juris humani tantum, ut recte AA. apud Leur. q. 12. Fru-
ctus seu proventus ipsi sunt aliquid omnino tempo-
rale, unde illos vendere aut emere nulla est Simonia.

217 Q. 35. Quid sit præstimonium; beneficium titu-
lare, manuale, monoculare; Commenda Spiritua-
lis. R.

§. I. Præstimonium est beneficium institutum pro Clericis, ut studiis vacent; habetque sæpe adjun-
ctum onus orandi quotidie quinques Pater & Ave:
putantque Az. Suar. Garc. Gonz. & Castrop. tr. 13.
d. 1. p. 7. n. 1. esse verum beneficium Ecclesiasticum
ac materiam Simoniae, quamvis aliqui id negent.

218 §. II. Beneficium titulare est, quod in titulum
perpetuum sic confertur, ut absque gravi causa non
posit auferri, & ideo est titulus Ordinationis.

219 §. III. Beneficium manuale est, quod ad nutum
alterius potest auferri, ideoque dicitur manuale,
quia in alterius manu & dispositione manet illud re-
linquere vel auferre: talia sunt pleraque beneficia re-
gularia; neque dicuntur ejusmodi beneficia propriè
vacare, si moriatur deserviens; neque subjacent re-
gulis provisionum, sicuti alia, Luca de benef. d. 97.
n. 19. In dubio autem an aliquod beneficium sit ma-
nuale an absolutè perpetuum, si sit sacerdotiale, præsumi
debet esse absolutè perpetuum; imò omne manuale
sacerdotiale potest conferri in perpetuum, Luca n. 23. è
contrà si sit regulare, præsumitur manuale, propter
subjectiōnē ad obedientiam, Luca n. 3., qui n. 6.
ostendit manualia quæcumque (exceptis Commen-
dis)

dis aliquisque, quæ non sunt meræ gratiæ sed veluti præmia benemeritorum) posse auferri pro arbitrio. Superioris etiam sine causa, nisi fieret ex odio & calunnia vel cum magno dedecore amoti, qui probare debet fieri ex illis causis vel cum hoc incommodo: imò quamvis Episcopus aliquem ordinasset super tali beneficio, adhuc posset amoveri, quia factum Episcopi non debet præjudicare illi, qui habet jus amovendi, nisi hic consenserit; *Garcias* p. 1. c. 2. n. 91. *Luca* n. 25. An autem amotio fieri possit per laicos, videri potest *Luca* disc. 80. sed de tali amotione, sitne licita vel etiam valida, plura videri possunt apud *Castrop.* d. 1. p. 5. Item universim de perpetuitate & manualitate beneficiorum plura habet *Leur.* p. 1. q. 61. & seqq.

§. IV. Beneficium monoculare est, quod est unicum in Ecclesia, vel cuius solius & unici collationem habet aliquis, *Lott.* l. 2. q. 39. n. 3. *Nicol.* tit. 1. d. 2. §. 2.

§. V. Commenda spiritualis est officium vel beneficium, in quo alicui commendatur administratio aliqua Spiritualis; v. g. ministrandi Sacra menta, concessionandi &c, & aliter vocatur Vicaria; potestque esse perpetua vel temporalis, uti latè prosequitur *Castrop.* p. 8., & dicemus à n. 239.

Q. 36. An beneficia manualia sint re ipsa beneficia. R. Negant cum aliis *Sanch.* in Decal. l. 7. c. 29. n. 106. & *Castrop.* t. 13. d. 1. p. 2. n. 7., quia non sunt perpetua; sed *Leß.* de iust. l. 2. c. 34. d. 1. affirmat, nam in se, id est, ex natura & institutione sua sunt perpetua, ac etiam conferuntur in perpetuum, sive absque restrictione ad tempus, quamvis per accidens & prout sunt in hoc beneficiario non sint perpetua, quia nempe hic provisus est subjectus dispositioni Superioris vel obedientiæ quoad officium,